



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XXVI. a Clemens III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

CAPVT XXV.

a Clemens III.

In audientia nostra talis fuit ex parte tua consultatio proposita, utrum clerici, qui arma ^b militaria, etiam relicto habitu clericali gestare nullatenus erubescunt, si ei fuerit injuria corporalis illata, vel se à captione redemerint, illa clericorum debeant immunitate gaudere, quâ pro temeraria manuum injectione facta in clericum excommunicatus quis ipso jure notatur. Ad hoc tibi breviter respondemus, quod cum frustra Ecclesiæ invocet ^c auxilium, qui committit in ipsam, & lex secularium Principum huic responso satis efficax offerat argumentum, quia manifestè ^d cautum habetur, matronam, cujus pudicitia attentata fuerit, non posse injuriarum agere, si fuerit in veste meretrici deprehensa; hujusmodi clerici, si fuerint a Prælati suis ^e tertio commonti, & noluerint arma militaria deponere, de privilegio aliorum clericorum subsidium aliquod habere non debent.

NOTÆ.

1. a **Clemens III.**] Ita etiam legitur in secunda collectione *sub hoc tit. cap. 14.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex.
2. b **Militaria.**] Quod clericis valde prohibitum est, ut probavi in *cap. cleric. cap. finali, de vita & honest. cleric. & in cap. petitiō, de homicidio.*
- c **Imploret auxilium.**] Hæc verba exposui in *cap. 2. de cleric. vel monach.*
- d **Cautum.**] In *l. item 15. §. si quis virgines 15.*

ff. de injuriis: quam illustant Pancirolo lib. 2. var. cap. 117. Heraldus lib. unic. emend. cap. 12.

e **Tertio commonti.**] Hæc verba variè exposuerunt Covar. in *cap. alma. 1. part. §. 11. num. 13.* Petrus Gregor. *lib. 2. part. tit. 9. cap. final. Vela differt. 45.* Sed veram eorum interpretationem dedi in *cap. final. de vita & honest. cleric.* Ante monitionem tamen, etsi non deferat habitum, nec inserviat Ecclesiæ, juxta requisita Concilii Tridentini, non privatur beneficio canonis *cap. Odoardus, de solut. & similibus; sed tantum privilegio fori, Marini lib. 2. resolut. cap. 48.*

CAPUT XXVI.

a Clemens III.

Quod de his etiam, de quibus non dubitas, & quid de his ipsis servari debeat, plurimum agnovisti, Ap. Sed. responsa requiris, tantò fraternitatem tuam magis in Domino commendamus, quantò in iis, quæ sacrorum canonum institutionibus sunt expressa, nostrâ auctoritate procedere desideras, & disponis. Sanè requisivisti nobis tua fraternitas, utrum qui se confitetur in latæ sententiæ canonem incidisse, nec ad hoc potest induci, ut ad Sed. Ap. veniat absolvendus, ab Episcopo, vel etiam simplici presbytero absolutionis possit, vel debeat beneficium promereri; & utrum presbyteris bigamis, & viduarum maritis, eorum uxoribus viam universæ carnis ingressis, Missarum solennia liceat celebrare. Verum licet quid de his observari debeat, sacris canonibus sit diffinitum, hoc tamen tuæ fraternitati ad præsens duximus respondendum: quod is, qui se asserit in canonem latæ sententiæ incidisse, non nisi per Sed. Ap. vel ejus ^b Legatum absolutionis potest beneficium promereri, nisi fortè in mortis sit articulo constitutus, vel ^c paupertate, vel infirmitate, vel senectute tanta gravetur, quod ad Ecclesiam Romanam laborem subire non valeat veniendi, vel ab hoc alio impedimento canonico retrahatur. Cæterum ab his in forma sacramenti exigi consuevit, ut resumptis viribus, & opportunitate concessa, Romanam Ecclesiam in persona propria debeant visitare.

NOTÆ.

- a **Clemens III.**] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 15.* sed nullibi exprimitur Prælati, cui rescribat Pontifex.

b **Legatum.**] Juxta tradita supra in *cap. ad eminentiam.*

c **Paupertate.**] Ut probavi supra in *cap. cum non ab homine.*